

RHODUS

EXC.MI P. D. FLORIDI A. ACCIARI
Archiepiscopi Rhodiensis (Rodi)

Romae, die 26 augusti 1959

Eminentissime Domine,

Breviter respondeo ad ea quae Eminentia Tua poscit folio N. 1 C/59-1125 diei 1 iunii 1959.

Opinor:

1. Quod in Concilio ante omnia exponendae sint veritates ab omnibus profitendae, et damnandi errores qui, praesertim post Concilium Vaticanum, contra doctrinam catholicam irrepserunt: et hinc:

2. Iterum damnentur massonicae sectae, communismum, socialismum, etc.

3. Formulae pro Professione Fidei nec nimis contractae sint, nec longiores.

4. Optimum erit si praeparetur et in lucem edatur Catechismus — Maior et Minor — ita ut iisdem formulis Ecclesia universa profiteatur suam fidem.

5. Desideratur ut a Concilio promulgetur Constitutio pro electione Summi Pontificis, Romana Sede vacante.

6. Statuere quae in administratione Sacramentorum et in aliis liturgicis functionibus liceat vernacula lingua recitare.

7. Curare novam editionem Pontificalis Romani et Caeremonialis Episcoporum cum opportunis variationibus.

8. Desiderantur maiores relationes inter Episcopos et Superiores regulares, praesertim quando clero regulari sit concredita cura paroecclesialis. Hinc Superiores regulares invitandi sunt in Conciliis provincialibus, in Synodo dioecessana et quando agitur de gravioribus negotiis populum christianum spectantibus.

9. Ad novum examen revocare quae a *Codice I. C.* statuuntur Libro Secundo « De Personis ».

Pro nunc nihil aliud suggerendum puto.

Cum reverentia et observantia

Eminentiae Tuae Addictissimus

✠ FLORIDUS A. ACCIARI
Archiepiscopus Rhodiensis